



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

Abusus in Veneratione Reliquiarum 49

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

Quod ad tertium attinet, nempe Venerationem & cultum reliquiarum, piū ac Christianum est, Veras Sanctorum reliquias honorificè tractare, quod nec Liber Reformationis inficiatur. Christiana verò Reliquiarum veneratio alia esse non potest, quam in honestis locis eas conseruare, quemadmodum omnium Christianorum corpora certis & ad eam rem deputatis locis, recondi & custodiri solent: idque in hunc finem, vt homines gratiæ Dei Sanctis concessæ admoneantur, ad excitandā eorū fidem erga Deum, & imitationem sanctorum inflammandam ac prouehendam, quemadmodum Chrysostomus, quem Aduersarij citant, & D. Augustinus contra Faustum ea de re loquuntur.

Quando igitur Reliquiarum propositio, circumportatio, & ostensio ad eum finem non efficaciter confert: sed potius ad superstitionem corroborandam pertinet, perinde ac si apud Ossa Sanctorum per merita & virtutem eorum auxilium assequi possimus, id quod fieri manifestum est. Stolidus enim populus & eiusmodi fraudibus in errorem abductus, sine fide ac vera oratione ad Deum per Christum Dominum passim ad ossa Sanctorum cursitare conspicitur, ac suas oblationes & donaria adferre. Sanè vbi eiusmodi reliquiarum abusus vel metuitur, vel præsens ob oculos versatur, remouendæ penitus è conspectu hominum sunt, nullaque omnino pompa cum illis exercenda. Sicut & Ezechias æneum serpentem, cum ei populus adolere cœpisset, confregit. Manifestum est verbum Dei, iubens, *vt omnia in Ecclesia Dei ad edificationem fidei in Christum fiant*, 1. Cor. 14. ac prohibens, *ne vllum cuiquam detur scandalum*. Matth. 19. Rom. 14. 1. Cor. 8. 2. Cor. 6.

Abusus in Veneratione Reliquiarum.

C A P. XLIX.



A V S V S circa venerationem reliquiarum sunt hi. Primus Inhabitantem illis virtutem Dei, & quietem gratiæ diuinæ, vt ipsi loquuntur, attribuere. Etenim auxilium Dei sine verbo ipsius nulli rei affigere debemus. Ad hæc experientia miraculorum editorum apud ossa Sanctorum, nihil aliud efficere potest, quàm Deum aliquando quibusdam hominibus, iisque perpaucis, apud talia loca, cum ipsum in vera fide per Christum Dominum inuocassent, opem & auxilium tulisse. Hoc verò non sufficit ad probandum, quod propterea quilibet debeat auxilium Dei in talibus locis quærere. Christum habemus verum propitiatorium, ad eum nos conferre debemus: is est, qui omnia nobis daturus & facturus est, quæcunque ab eo petierimus.

Vnus quidam mortuus, cum ossa Elysæi tetigisset, reuixit 1. Reg. 13. Verum inde nullam habebant Doctrinam Dei, vt omnes defunctos ad hæc ossa adferrent: Omnibus in locis debemus auxilium Dei per Christum quærere, *in spiritu & veritate, quæ est Doctrina verbi Dei.*

Alter Abusus est coram Reliquiis se prosternere, eas adorare, & oblationes illis adferre, id quod populus manifestè facit. Veteres autem vt impium & idolatriam agnoscunt, vt Hieronymus contra Vigilantium, & August. lib. de moribus Ecclesiæ cap. 34. & contra Faustum lib. 20. cap. 21. Veri Christiani verbo contenti erunt, quod in tam multis locis, tamque clarè ac seridè præcipit, eiusmodi cultus Soli Deo, & coram iis signis exhibendos esse, quæ ipse ad id nobis proponit.

Tertius abusus circa venerationem reliquiarum est, eas circumferre, hominibus ostentare, & ornare, ad certissimam simplicium offensionem, & manifestam temporalis ac turpis lucri nundinationem.

Quod quidam Episcopi Reliquias ab vno loco ad alterum portant, populo & præcedente & sequente, quemadmodum Augustinus de Ciuitate Dei lib. 22. cap. 8. de Episcopo quodam, nomine Luceilo, commemorat, & Hieronymus de Constantino, & Areadio, aliisque nonnullis Episcopis, vel quod eas in serico & vase aureo portarint, ex eo non efficitur, quod & nos quoque reliquias serico, argento & auro vestire atque ornare debeamus, in processibus solemniter hominibus ostentare, & osculandas præbere. Id enim ad manifestam imminutionem fidei in Christum facit, quemadmodum quotidiana experientia docet. D. Ambrosius, Exuperius & alij S. Patres aurea & argentea vasa corporis & sanguinis Domini, vt iam antea dictum est, confregerunt & vendiderunt, vt iis pauperibus Christi subuenirent. Et D. Hieronymus hoc factum Exuperij singulariter laudauit, suoque hortatus est, vt in simili casu Exuperium imitarentur. Quamobrem etiamsi hic S. Pater, contra Vigilantium, qui venerationem Reliquiarum cum serico & auro reiecit, vehementissimè scribit, sicut in omnibus controuersijs acerrimus & vehementissimus est, id tamen non idcirco probat, non esse grauem & horrendum abusum, tantam vim auri, argenti, serici & aliorum ornamentorum reliquiis Sanctorum appendere, ad certam & manifestam superstitionis corroborationem, neglectum verò & contemptum egenorum Christi.

Iam quemadmodum hæc præpostera veneratio reliquiarum ossiumque Sanctorum superstitiosa est, sic vota quoque & peregrinationes, quæ propter eiusmodi venerationem suscipiuntur, superstitiosa esse necesse est. Et quoniam verbum Dei de hoc toto negotio clarum ac dilucidum habemus, nullis S. Patrum dictis poterunt eiusmodi abusus defendi: Neque dubium est S. Patres falsam illam & perniciosam venerationem Sanctorum è medio ablaturus fuisse, si ipsorum temporibus tam superstitiosa & idololatrica fuisset, atque est nostro seculo.

Quamuis Antichristus etiam S. Patrum temporibus mysteria idololatriæ, per eandem hanc venerationem sanctorum, & reliquiarum eorum, non minima ex parte operatus, & fundamentum istius abominationis iecit. Perpendatur tantummodo dictum Basilij, quod Aduersarij citant, ex concione eius super Psal. 115. quod in
Græco

Græco sic habet. Ideirò qui contingit ossa martyris, quandam sanctificationis societatem adiungit, ex gratia corpori insidente, *magis pœnitent.* Sanè qui hæc verba simpliciter & nudè intueri volet, quid aliud ex eis discet, quàm quòd talis gratia Dei reliquis Sanctorum insideat, ut omnes qui eas attigerint, osculati fuerint, vel illis se illini passi fuerint, per eas sanctificentur & ipsi? Porrò cum id longè facilius factu sit, quàm vera pœnitentia, abnegatio sui ipsius, & in obedientia Christi, vera ac solida fide, traditio: & alioquin homines semper ad id quod deterrimum est, utpote deprauatè eorum naturæ magis consentaneum, declinent, sequitur inde, & sanè nimis, pro dolor! crasse secutum est, & miserè homines pœnitentiæ ac fidei, omni que pietate vale dicentes, ad sanctorum reliquias currant, ut eas videant, adorent, osculentur, & blatiombus venerentur. Tantumdem & ex dicto Chrysoftomi de Machabæis, quod Aduersarij citant, consequitur.

Quamobrem si Aduersarij affecti essent, sicut D. Paulus, & omnes Christianos affectos esse decet, ut nihil aliud, quàm Iesum Christum, & hunc crucifixum scire vellent, per quem solum omne bonum à Patre nos impetrare oportet, facillimè cognoscerent, hanc consequentiam nullo modo valere. S. Patres aliquid habuerunt in usu. Quare & nos quoque id facere debemus. Docere & facere debemus quicquid mandauit Dominus, Matth. vlt. non quod S. Patres, antiqui vel recentes Christiani fecerunt aut docuerunt. Hoc Christianorum officium est, ipsis à Christo Domino præceptum & iniunctum. Apostoli quidem nihil de veneratione reliquiarum, vel verbis, vel exemplo nos docuerunt; S. Patres etiam non aliter vel vltèrius eam exerceri voluerunt, nisi quatenus ad ædificationem fidei in Christum confert. Quapropter cùm manifestum sit, Venerationem reliquiarum, sicut nunc in abusu versatur, facere non ad ædificationem fidei, sed ad destructionem, sanè ex conspectu hominum penitus eam remouebunt, quemadmodum Ezechias de aëneo serpente egit, quicumque spiritum ac pietatem eius habent.

Accusatio decima octaua.

De Imaginibus.

CAP. I.



Hæc Accusatio instituta est ab Aduersariis, aduersus articulum de Imaginibus. Et hoc loco nihil aliud adducunt, quàm septimum Constantinopolitanum Concilium, & Damascenum non antiquum Doctorem, quos vsum & venerationem imaginum defendere affirmant.